

lucens thesaurarii regis (Clotarii II) officio defunctus est; quo in munere magnam prudentiæ, æquitatis ac integritatis laudem consecutus est. Neque vero rerum temporalium sollicitudo, studium colendæ virtutis ac pietatis in eo vel leviter imminuit. Mortuo fratre Rustico Cadurcorum episcopo, cujus eadem a. an. 629 referunt Cointius et Mabillon, Dagobertus rex, filius Clotarii II, scripsit ad sanctum Sulpicium Bituricensem episcopum de subrogando in locum Rustici Desiderio ejus fratre. Præterea præceptum direxit « ad episcopos, duces cunctumque populum Galliarum, » ea de re, ut doceret, Desiderium, etsi adhuc laicum, ob « angelicos mores et sacerdotalem conversationem » non esse ab episcopatu arcendum tanquam neophytum, maxime cum accessisset « civium abbatumque Cadurcorum » consensus. Jam vero quanta sollicitudine commissi sibi gregis custodiæ invigilarit ejusque saluti prospexerit, non est facile dicere. Monastici ordinis propagationi studuit, in primis sancti Amantii vetus monasterium non longe ab urbe denuo magnis sumptibus ædificavit, et prædiis dotavit; ad cujus dedicationem invitavit plurimos episcopos, in his Paulum Verdunensem, ut probat Desiderii ad eum epistola. Cum anno sui episcopatus 23, profectus esset Desiderius ad « Albiense territorium paternæ possessionis » invisendum, ibi in natali solo ad cælestem patriam evolavit, condito prius testamento, quo ecclesiæ suæ « quidquid ex parentum successione, quidquid regio munere, quidquid propria comparatione adquisisset, » contulit. Eum obiisse xvii Kalendas Decembris in confesso est apud omnes pene scriptores. De anno vero mortis disceptatur. Annum hunc

A fuisse 654 docet Mabillonius, *Analectorum* tom. III (Pag. 532). Carolus Cointius vero anno 649; Guillelmus Cave in *Historia litteraria*, an. 652; scriptor *Vitæ sancti Desiderii* ait, c. 19, eum profectum esse ad Albiense territorium visitandum an. 17 Sigeberti regis, et sui pontificatus 23. Paulo post vero cum obiisse, ex rerum serie intelligitur. Emendat autem hunc scriptorem Cointius, et vult annum 17 Sigeberti non anno 23 episcopatus Desiderii, sed 21 esse illigandum. Nobis sufficiat varias indicasse sententias, in quibus excutiendis diu immorari non licet. Ex his tamen quæ supra præmisimus agendo de Rustico, ubi ostendimus anno 650 inchoato sanctum Desiderium factum esse episcopum, liquet annum 652, fuisse vigesimum tertium ejus episcopatus, B quo sanctus præsul profectus est ad territorium Albiense; paulo post vero migravit ad superos; hoc est, vel anno eodem 652, vel 653 ineunte. Corpus ipsius ad ecclesiam ejus munificentia prius insigni opificio constructam, scilicet, sancti Amantii delatum, ibidem multis fulsit miraculis. Vita ejus duobus comprehensa libris edita est primum in *Gallia Christiana*, an. 1656, quam ad hagiographos amandam censuimus. Scripsit varias epistolas ad amicos Sulpicium Bituricensem episcopum, Dadonem seu Audonem Rothomagensem, Paulum Verdun., etc. quæ apud Canisium, *Antiq. Lect.*, tom. V, habentur, et in bibliotheca Patrum, tom. VIII. Ibidem editæ sunt libro altero variorum ad illum epistolæ. Inter Usserii epistolas Hibernicas una exstat, scilicet, decima, quæ est sancti Galli ad sanctum Desiderium.

VITA SANCTI DESIDERII,

CADURCENSIS EPISCOPI ET CONFESSORIS.

[Ex ms. exemplari V. C. Antonii de Vyon domini d'Heronvâl, in suprema regiarum rationum curia auditoris doctissimi etque humanissimi.]

CAPUT PRIMUM.

Igitur Desiderius Cadurcensis episcopus Obrege Galliarum oppido oriundus fuit. Hæc itaque civitas in extremis pene Galliarum finibus sita; regionibus quippe Aquitaniarum extrema, habens a meridie provinciam Narbonensium. In hac ergo parentibus honestissimis, et apud Gallicanas familias præ cæteris generositate ornatis, Desiderius exortus est. Pater ejus Christianissimus, vocabulo Salvius, mater vero ejusdem honesta, Marchenefreda dicta est; fratres autem ejus, Rusticus et Siagrius, eum duobus sororibus aderant: quarum una Selina, alia vero dicebatur Avita: e quibus Rusticus a primis pubertatis annis clericus factus, archidiaconatus officium in urbe Rutena et abbatix, sub Lothario rege administravit; ad ultimum pontificatus dignitatem in Cadorena urbe emeruit. Siagrius, post diutina palatii Francorum ministeria et familiaria Lotharii regis contubernia, comitatus dignitatem apud Albige ges-

sit, nec non et apud Massiliam judicariam potestatem diu exercuit.

Desiderius vero summa parentum cura enutritus, litterarum studiis ad plenum eruditus est: quorum diligentia nactus est, post litterarum insignia studia, Gallicarumque eloquentiam (quæ vel florentissima sunt, vel eximia, contubernii regalis adductis inde dignitatibus), ac deinde legum Romanarum indagationi studuit, ut ubertatem eloquii Gallicani nitoremque gravitas sermonis Romana temperaret.

CAPUT II.

Eo autem tempore Teudebertum regem jam interemptum, Teudericum æque defunctum; Brunehildem quoque quorundam equorum pedibus irretitam, ac male discerptam audivit. Lotharius autem pater inclyti Dagoberti monarchiam regni solus tenebat, a quo tres germani, id est Rusticus, Siagrius, et Desiderius, florentissime enutriti, summis dignitatibus præditi sunt. Rusticus (ut præfati sumus) abbatiam

Palatini oratorii, quod regalis frequentatur ambitio et archidiaconatus officium gessit. Siagrius autem Massiliæ gubernacula et Albiensium comitatum annis plurimis administravit.

Desiderius vero minor tempore, sed non inferior dignitate, sub adolescentiæ adhuc annos thesaurarius regis valde strenue se accinxit. Denique quantum regi propius, tantum familiarius inhærebat, et inter cœvos et proceres laudabiliter nimis adolescentiam suam gerebat; quantumque ætate crescebat, tantum se in timore et regis fidelitate roborabat, cujus nûssitatis, subtilitatis, affabilitatis, argutiæque sagaciam si per singula volucro exponere, desicet me tempus narrantem: tanta enim humilitatis et scientiæ gratia ornabatur, ut multos superaret affines, pluresque præiret cœtaneos: et licet ad plenum litteris fuerit eruditus, insignem tamen ac robustissimum naturalem habuit magistrum, propriam conscientiam. In aulam hanc sub frequentissima palatii opulentia degebat, sed cautelam monachi propositumque non amittebat. Lasciviam sane, voluptatesque sæculi evitabat, ut mirum in modum semper spereret quod semel contempserat.

Delectabat namque eum jugis labor, nequaquam considerans quid alii male facerent, sed quid boni ipse facere deberet: semper enim sæcularium consortia studiose fugiens, monachorum ac religiosorum delectabatur eloquiis, pravorum contubernia declinans, humilium jungebatur cæteris. Item in Deo manens semper per bonam et malam famam, nec laude cuiusquam extollebatur, nec vituperatione frangebatur. Habebat enim temperamentum in prospera, patientiam in adversis, tenebat simplicitatem columbæ, ne cuiquam machinaretur dolos, habebat et serpentis astutiam, ne aliorum supplantaretur insidiis; magnum prorsus habens ingenium et facile loquebatur et pure, facilitasque ipsa et puritas mixta prudentiæ erat. Cum vero quempiam servorum Dei concionantem audiret, nunquam satiebatur audiendi cupidine; sed, ut scriptum est, *addens scientiam addebat et dolorem*; et quasi oleum flammæ adjiciens, majoris ardoris fomenta capiebat; dicebat enim: *habeant sæcularia ministeria sua impedimenta, mihi autem adherere Domino bonum est, ponere et in Domino spem meam.*

Talia rudimenta Desiderius nuntiabat, hujusmodi experientiam inter pompas sæculi Christi tirunculis gerebat; magnæ virtutis qui talia habuit rudimenta, qualis exercitatus miles erit? Quæ putas ventura ætas capiet bona, quando pubertas, quæ illud hominum genus proclive in vitiis trahitur, Christianam militiam bajulare aspirat?

CAPUT III.

Dum his ergo exercitiis polleret, nuntius eum percussit, patrem ejus Salvium ab hac luce migrasse: et licet esset mente fortissimus, ab hac tamen causa vehementer se affixit; nec minus de piissimæ genitricis destitutione, quam de patris abcessu condoluit. Ex regis tamen permissione profectus ad matrem

A miris eam modis consolari studuit, postque regressus ad palatium, officium sibi commissum strenue, ut cœperat, ac solerter providit.

Sub ejusdem ferme diebus, anno transacto xxxiv Lotharii regis Rusticus Desiderii germanus archidiaconatus officium in urbe Rutenâ suscepit. Siagrius quoque hoc tempore comecie indeptus est. Sortitusque in matrimonium illustrissimam puellam, Albigæ indigenam, nomine Bartolenam, quæ devotam demum vitam gessit, ac multum erga ecclesias studium impendit super *quidem virum*, et omnem prope facultatem eccle iis delegavit, quod et jugalis ejus antea jam per testamenti sui paginam fecisse manifestatur. Desiderius vero inter exercitissimi palatii ministeria sedulo Deo vacans die noctuque orationibus insistebat; habebat enim amicos bonæ fidei viros, Paulum scilicet, Arnulphum, Eligium et Audoenum, quorum exemplo atque hortatu assidue semetipsum ad meliora subrigens vitam suam in melius propagebat. Interea rex pius et mansuetus Lotharius debitum naturæ terminum implens, ac pacifice abiens, Dagobertum filium in principatu reliquit, a quo Desiderius tanta familiaritate retentus est, ut ampliori dignitate quam indeptus fuerat, potiretur; siquidem diligebat eum rex, quia noverat eum strenuum virum et sibi fidelem, et in Dei timore esse jam solidatum; ipse autem officia sibi commissa ita providebat, ut et in rege fidelitatem, et in Deo gratiam conservaret; opulentissimos quidem thesauros summamque palatii suppellectilem hujus arbitrio rex Dagobertus commisit, ad ejus obtutum data recondebantur, ad ejus nutum danda proferebantur; multi quoque episcoporum, ducum ac domesticorum sub ala tuitionis ejus degebant, multi nobilium sibi eum gratificare gaudebant; reginâ autem Nanthildis unice eum diligebat.

CAPUT IV.

Rex, ut dictum est, copiosos ei thesauros, pluresque ædes multaque aulæ nitentia commiserat; ipse autem non arrogantia extollebatur, non adducta fronte cœvos aut contubernales spernebat, sed omnibus se minimum judicans in amorem sui cunctum palatii ordinem traxerat: erat quippe blandus in eloquio, honestus in aspectu, cautus in verbo, providus in consilio. Inter cætera animi exercitia nimis misericors, ac benignus erat; constantiam in Deo talem habebat, ut non solum cœtanei, sed etiam majores natu eum revererentur, et admirando præferrent. Ipse autem in omnibus caute satis progrediens futura Dei judicia et districtam ejus discussionem formidabat, semperque mentis oculos ad bona æterna conferebat. Cum titillatio carnis urgeret, proponebat sibi adversus carnis ardores futuros supplicii ignes, sicque memoria ardoris futuræ gehennæ ardorem excludefat luxuriæ, sciens scriptum: *Nihil esse fortius qui vincit diabolum, nihil imbecillius qui a carne superatur.* Sciebat enim Domini dictum: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Scientiam quoque Scripturarum satis amabat, reminiscens cujusdam sapientis sententiæ: *Ama scientiam Scriptura-*

rum, et carnis vita non amabis. Noverat et illud quod per quemdam sapientem dicitur: *Quis gloriabitur castum se habere cor? Astra non sunt munda in conspectu Dei, quanto magis nos, quorum vita tentatio est?* Summopere enim varia Scripturarum præcepta decerpere studebat, ut futurus sacerdos plene prius disceret quod demum posset docere, et rationabilem hostiam offerre præcavebat solerter, ne aut linguam, aut aures haberet prurientes, ne aut ipse detraheret, aut alios detrahentes libenter audiret, Salomoni dictum sæpius revolvens: *Cum detractoribus ne miscaris, quoniam repente veniet perditio eorum*; noverat plane illud dictum: *Omnis qui facit peccatum, servus est peccati*, nec non et illud Apostoli: *Omnis qui facit justitiam ex Deo natus est, et omnis qui facit peccatum ex diabolo est*, et quod non expedit *apprehenso aratro respicere post tergum*, quod stadium est hæc vita mortalibus, futura enim hic contendimus, ut alibi coronemur, et quod non est nobis *colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus potestates et principatus harum tenebrarum*. Meminerat quoque quod beatus Petrus in Epistola sua infert: *Sobrii estote et vigilate, quia adversarius vester diabolus tanquam leo rugiens circumquærens quem devoret, cui resistite fortes in fide*. Illis incitatus stimulis ad omnem actum, ad omnem incessum, Dei flagitabat auxilium, ut tandem post carnis conflictum mereretur pervenire ad bravium, et perfrui præmio sempiterno nunquam lapsuro per ævum. Itaque honestissimo genitore Salvio, ut dictum est, jam defuncto, fratre quoque Siagrio in fascibus constituto, Rusticus germanus ejus episcopatum Cadurcæ urbis adipiscitur: decesserat enim ipso tempore Eusebius præfati municipii antistes, qui successor in episcopatum sanctæ memoriæ Ursicini fuerat. Desiderius autem sæculæ in palatio serviens, ac thesaurarii officium gerens quotidie vitam suam ad augmentum melioris propo-iti provehebat. In anno autem septimo Dagoberti regis prædictus germanus ejus Siagrius, dum Massiliæ administrationem procuraret, Deo jubente vitam finivit, pro quo rex Dagobertus gravi mœnore percussus, solertissimum Desiderium loco præfecturæ ejus subrogare censuit. Profectus itaque Massiliam præpositi administrationem vigilanter exercuit, atque aulam regressus ministerium sibi injunctum omni cum sollicitudine providit: sed quantum pia ejus genitrix habuerit luctum, quantumque venerabilis Desiderius pro fratre fuerit afflictus, inconveniens nimis est per singula volvere; unde interim his omissis suscepta prosequamur.

CAPUT V.

Subsequente itaque tempore, et sub iisdem ferme diebus, fluente anno septimo regni Dagoberti, et incipiente octavo, Rusticus episcopus cathedræ Cadurcæ præsidens, septimo autem et eo amplius anno pontificatus sui administrato, a perfidis et scelestis incollis interemptus est: ob quod conturbatio magna facta est in Ecclesia, non solum in urbe Cadurca, sed etiam in regis aula, siquidem vehementer ira regis

A commota terribilia valde promulgavit præcepta, adeo ut alii obruncati, alii interempti, alii exilio damnati, alii etiam perpetuæ ob hoc servituti addicti sunt, sic quoque ut nunquam in sempiternum ad libertatis statum meruerint pervenire. Reverendissimus autem Desiderius, licet intolerabiliter sit dolore percussus, ut in morte germani ipse quodammodo videretur mortem subire, fortissimo tamen animo, et valde accurato beatam matrem studuit consolari, ne amissione filii modum Christianæ religionis lugendo excederet, asserens eos qui in Christo dormiunt non esse lugendos, sicut Apostolus admonet dicens: *De dormientibus ne contristemini sicut et cæteri, qui spem non habent*. Harchenefreda autem, pia genitrix, tenerrimo valde affectu Desiderium diligebat, quem crebræ orbitates sibi fecerant jam chariorem, siquidem sanctissimi jugalis Salvii amissione filiorum continuabatur luctus: hæc autem crebras ad eum epistolas dirigens pio studio filium cohortatur ut cœpta perficeret, ut *omni custodia cor suum corpusque servaret*, præcepta Dei toto adnisu custodire contenderet, quarum exemplar apud nos habito testamento memoriæ gratæ hujus pagellæ inserendum credidi, ut ex his advertatur qualis fuerit mater, qualeque propositum tenere filium vellet, quarum textus ita se habet.

CAPUT VI.

« Dulcissimo atque amantissimo filio Desiderio Harchenefreda. Immensas omnipotenti Deo egi gratias qui dignatus est tribuere locum, ut litteras meas ad dulcedinem tuam dirigere deberem, per quas tantum saluto quantum viscerum meorum exigit plenitudo, et rogo Domini misericordiam ut mihi de vita et bona conversatione tua affluenter jubeat lætificari. Te vero dulcissimum mihi pignus moneo, ut assidue Dominum cogites, Deum jugiter in mente habeas, mala opera, quæ Deus odit, nec consentias, nec facias: regi sis fidelis, contubernales diligas, Dominum semper ames et timeas; ab omni opere per quod Dominus offenditur, sollicitè te custodi, ne a'ios in malis provoces pro tua malæ vitæ instabilitate; quare nullam occasionem vicini vel pares habeant per quam detrahere tibi possint, sed magis bonam conversationem tuam videntes glorificent Dominum. Recordare semper, filii, quod Deo pro vobis spondei, et ideo cum timore semper progredere, de cætero tantum, te, dulcis filii, salutare præsumo, quantum cordis mei continet plenitudo. »

« Dulcissimo ac desideratissimo filio Desiderio Harchenefreda. Omnipotenti Deo immensas ago gratias, quod se locus opportunitatis dedit, ut parvitatæ meæ apices dominationi vestræ dirigere possim. Cognoscite quod vos in Dei nomine prospere agere cupimus, sicut oportet pro vobis assidue orare; proinde profusissimam salutem persolvens supplico animo ut nostra opera, nostras orationes juves, et quantum potestis, semper animæ profectum elaborate, charitatem circa omnes tenete, castitatem super omnia custodite, cautelam in sermone, in omni opere habete, et si forte aliquid mali actum est, cito

emendate. Epistolam vero, quam ante tempus vobis direxi, sæpius legite, et animo tenete, ac tota mentis ambitione tenete, ut promissio mea de vobis apud Dominum per vos, dulcis illi Desideri, impleatur, quod præstet omnipotens Deus, qui est super omnia benedictus. De conditione vero patris vestri magni abbatis, unde antea tam ipse quam nos vos rogavimus sic perinsistite ac ut sanctorum fuit intercessio maximam vobis mercedem apud Deum acquirat et in æternam vobis retributionem ipsa merces occurrat. De speciebus vero, quæ vobis in palatio sunt necessariæ, nobis per epistolam vestram significate, et continuo in Dei nomine dirigemus: de prosperitate etiam vestra nos celerrime certificari jubete et valete in Domino. *Manu propria*: incolumes vos Dominus custodire, et hæredes regni sui præparare dignetur. »

« Semper desiderabili et dulcissimo filio Desiderio Harchenefreda, misera mater: jam credo tibi nuntiatum esse qualiter dulcissimus germanus tuus dominus Rusticus episcopus a perfidis Ecclesiæ incolis interfectus sit. Propterea, dulcissime filii, dum et pater tuus jam decessit, et Siagrius frater tuus hinc migravit, tu viriliter istam causam persequi facias, ut grande exemplum per hoc fiat. Ego infelix mater quid agam, cum fratres tui jam non sint, si tu decesseris, ego orbata absque liberis ero; sed tu piissimum piguus, mi dulcissime, sic te jugiter præcave, ut dum solatia fratrum perdidisti, te non perdas, ut, quod absit, in interitum vadas. Cave semper latam et spatiosam viam, quæ ducit ad perditionem, et temelipsam in via Dei custodi: ego præ nimio dolore vitam meam amittere suspicor. Tu ora ut egredientem animam illi suscipiat pro cuius amore diu noctuque suspiro. Ego Dodenum ad te direxi per quem omnia scire poteris quæ erga nos aguntur, quem cum omni velocitate remittere festinus: incolumem te suprema gratia tueatur, filii. »

CAPUT VII.

Jam vero, ut dictum est, interempto Rustico Cadurcæ urbis episcopo, consensus regis et civium pari sententia in episcopatum Desiderii aspiravit. Nam licet suggestio civium ad præsules et principes jam præcesserit, rex tamen pro hoc amantissima et valde ambienda præcepta dedit, in quibus perspicue agnoscitur, vel quam ob rem hunc rex diligeret, vel quam de eo æstimationem haberet: tale nimirum de illo rex civibus et episcopis cunctoque populo testimonium dedit ut jure plebium testimonia regia oracula præcellerent ac prævenirent. Cujus epistolæ exemplarium necessarium huic operi inserendum putavi: textus autem epistolæ iste est.

« Dagobertus rex Francorum episcopis et ducibus, cunctoque populo Galliarum finibus constituto. Condecet clementiam principatus sagaci indagatione prosequere, et pervigili cura tractare, ut electio vel dispositio nostra Dei et hominum voluntati debeat concordare, et dum nobis regiones et regna in potestate ad regendum largiente Domino noscuntur esse collata, illis committantur privilegia dignitatum,

A quos vita laudabilis et morum probitas vel generositatis nobilitas attulit. Et quoniam virum illustrem Desiderium thesaurarium nostrum cognovimus religionis observantiam ab ipso pueritiæ suæ tempore in omnibus custodire, et sub habitu sæculari Christi militem gerere, ac mores angelicos et sacerdotalem conversationem habere, ut non solum in contiguis, sed etiam in longinquis regionibus fama bonitatis ejus evulgata crebrescat; ideo credimus eum merito ad sacerdotium debere provehi, quem sicut diximus ornatis moribus videmus jugiter ad celestem patriam anhelare, et dum civium, abbatumque Cadurcorum consensus hoc omnimodis exprobat, ut eum episcopum habeant, et nostra devotio similiter consentit, absque dubio credimus nutu Dei id fieri, ut dum satis nobis B est in palatio nostro necessarius, ipsi nobis quodammodo violentiam inferamus, et eum ab ædibus nostris profectu, vestro procuremus; sed dum nobis, ut diximus, eum et ab ædibus nostris auferimus, quibus regiones et regna a Deo sunt commissa, quamvis nobis inferamus dispendium, tales debemus procurare pastores, qui secundum Deum et apostolica dicta plebes sibi a nobis commissas debeant regere, unde nobis merces amplior possit accrescere. Quamobrem juxta civium petitionem, nostram quoque concordantem in omnibus voluntatem decernimus, ac jubemus, ut adjuvante ac clamante laudes ipsius clero vel populo, vir illustris et verus Dei cultor Desiderius pontifex in urbe Cadurci debeat consecrari, et nostra civiumque voluntas, quod decrevit in omnibus, in Dei nomine periciatur, et pontificali benedictione sublimatus, dum Christo propitio vere ac religiose profiteretur quod vita et conversatio ejus digna et probata ab universis habetur pro nobis et pro universis ordinibus Ecclesiæ debeat exorare et acceptabiles Deo hostias studeat offerre, quia ex hoc vitam nobis longiori ævo auctore Domino credimus propagandam si ille in sacerdotio eligitur et sublimatur, qui pro nobis, vel pro vobis sibi commissis securus ante tribunal Christi preces offerat, et in futuro judicio ut culpas excuset peccatorum assistat. Qua de re præsentis auctoritate decernimus ut sæpe dictus Desiderius episcopatum in Cadurcensi urbe præsentialiter suscipiat, et Christo propitio ejus temporibus teneat; et ut hæc deliberatio voluntatis nostræ firmior habeatur, manus nostræ subscriptione subter eam decrevimus roborare. Crodobertus obtulit, Dagobertus rex subscripsit. Data sub die Idus Aprilis, anno octavo Dagoberti regis.

CAPUT VIII.

Indictio Dagoberti regis ad dominum Sulpitium episcopum.

Domino Sancto et apostolico domno Patri Sulpitio Dagobertus rex. Deo et vestræ Sanctitati credimus esse compertum qualiter fidelis noster vere illustris Desiderius thesaurarius nobis adolescentiæ tempore fideliter deservivit. Nos devotissimam ac monasticam conversationem ejus habemus bene compertam: ideo nos cognoscite taliter decrevisse, ut in civitate Cadurca, ubi germanus ejus domus Ru-

sticus praeivit, in locum ipsius honorem episcopatus in Dei nomine debeat accipere, quia divina inspirante potentia talis nostra devotio manet, ut eos quos moribus ornatos, et sanctis operibus deditos perspicimus, sicut est iste fidelissimus Dei et noster Desiderius, hos ad episcopale culmen provehere debeamus, quia sic decet regiam celsitudinem, ut quos cognoscit in Dei timore conversari, et fidem catholicam integre custodire, vel evangelica praecepta, omnimodis ad pontificale officium studeat promoveri. Proinde dum vos archimetropolitani scimus tenere praesentes apices cum debito salutationis officio Almitati vestrae studuimus destinare, petentes, ut ad eum benedicendum properare debeatis, et litteras ad comprovinciales fratres vestros dirigatis, ut et illi adesse debeant, ut canonice, et juxta apostolicam institutionem sub vestri praesentia in sancta Paschali solemnitate pontificali benedictione debeat esse consecratus. Illud etiam ante omnia supplicamus, ut nos in sanctis ac Deo placitis orationibus vestris Domino commendetis, et ad explendum hoc negotium nullam moram faciatis. Quod vero indicimus, manus nostrae subscriptione, ut mos est, decrevimus roborare. Dagobertus rex subscripsit.

CAPUT IX.

Itaque regis promulgata sententia et civium consona voce Desiderius ad episcopatum eligitur, dataque, ut supra dictum est, auctoritate ad Sulpitium Bituricae urbis episcopum, qui metropolitanus dignoscebatur, ipse caeteros fratres comprovinciales ad consecrationem venerabilis Desiderii invitat. Factus itaque episcopus sub anno octavo Dagoberti regis temporibus piissimi Heraclii imperatoris, qualem se Deo ministrum, quantumque praestiterit, non est nostrae facultatis evolvere. Prima enim illi ac praecipua cura fuit de Dei praeceptis nihil praeterire, humilitate jactantiam superare, benignitate invidiam suffundere. Deinde ut nullam obsceni in se rumoris fabulam dare, nullam occasionem pro quolibet modo perniciosis relinquere studuit, summo opere subvenire pauperibus, visitare infirmos, *consolari pusillanimes, gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus, omnibus se omnia facere, ut omnes faceret salvos*. Erat enim caecorum baculus, esurientium cibus, sitientium potus, miserorum salus, solamen lugentium; frequenter in ore facta lectio, saepissime Christi erat invocatio, frequenter humi inherens et flexo corpore, mens erecta ad Dominum. Viam, qua spiritus tendebat, monstrabat; rumigerulos clericos sane et gloriosos, et palpantes adulatores quasi hostem fugiens, sola simplicia et pura contubernia amplectabatur. Pauperibus vero et fratribus refrigeria sumptuum ita providebat, ut nulli nihil deesset. Si pusillanimum vidisset, consolabatur; si in Dei amore servientem, cohortabatur ad studium; cujus locutio, instar fontis purissimi dulcis manabat ac placida, ipsumque genus eloquii ejus purum erat ac nitidum, adeo ut eo concionante nihil pulchrius, nihil dulcius, nihilque jucundius crederetur, ita enim in sin-

gulis virtutibus eminebat, quasi caeteras non haberet; sic praeparabat se quasi quodlibet moriturum, sic nempe vivebat, ut non eum ab oratione somnus, non a lectione saturitas revocaret. Quis unquam de eo, quod displiceret, audivit? quis audiens credidit? quis eo in fide firmior, in opere promptior, in oratione potior, in charitate ardentior potuit inveniri? Ab ipso quippe exordio episcopatus sui in vitia extirpando, animoque recuperando omne studium dedit, ubi instantissime desudans in opere sine intermissione dies continuabat, ob hoc vel maxime semper aliquid operis facere studebat, ut quoties inimicus eum pulsaret, nunquam ab opere inveniret otiosum, sciens scriptum esse quod *otiositas inimica est animae*, et Apostoli esse praeceptum, quod *qui non operatur non manducet*, et invenit alibi esse scriptum, in *desideriis est omnis otiosus*: vagatur enim perniciosus quisque cogitationibus, inde ipsi etiam apostoli *manibus propriis laborabant, ne quem gravarent, sed magis haberent unde refrigerium tribuere possent*. Porro industria sua edificavit et prope matrem ecclesiam domos geminas, utrasque duplis arcibus libratas, fenestris obliquas, scalis contiguas, possessione conjunctas, compendio congruas, socias oratorii, ornatas antis, quadrisque munitas, mirae magnitudinis miraeque dispositionis compactas, quas super ripam Oltis fluvii exstruens, praecipuumque atque eximium post facturis compendium praeparavit: edificavit etiam ultra amnis ripam in aspectu praedictarum aedium basilicam forma convenientissime comptam, scilicet in loco quo germanus ejus Rusticus quondam fuerat interemptus, quam mirabiliter perficiens in honorem B. Petri apostolorum principis dedicavit. Terrae quoque redditus et nonnulla ex suis facultatibus eidem indulisit. Aliam vero quae extra munitionem in valle qua Vilariago vel Spino tenditur, edificavit basilicam in honorem sancti martyris Juliani fundatam, quam cum terrae compendiis monasterio suo dedit. Aedificavit etiam aliquanto procul a majore ecclesia sub intervallo trium domiciliorum elegans oraculum miro opere miraque volutione constratum, quo loco dum mens desiderantis ita ingrediens refovetur ac si partem paradisi se occupasse gratuletur; qui locus tam suavis, tanque jucundus existit, ut etiam notens in contemplatione erectus illic orare cogatur. Non ibi caenum horrorem, non ventus fragorem, non gelu infert rigorem, non calor angustiam, non solitudo acediam, non inquietudo gignit molestiam, et hunc nihilominus laeum in honorem B. confessoris Martini voluit consecrare; multa etiam sub aliis compendiis secuturis post fratribus praeparare studuit. Praeter civitatis Cadurcae opera castellum quoque Cadurcum, quod antea nullum pene ac exiguum videbatur, copioso opere conspicanda quadam munitione ampliavit, erexit, ac firmavit, quod sagaciter exstruens, multoque ibi labore desudans, ecclesias, domos, portas, turres murorum ambitu ac quadratorum lapidum compactione munivit, firmumque ac solidum

ad posteros pervenire decrevit. Jam vero in altaris ecclesie ministeria dici non potest quantum se fuderit, quantaque fecerit, quam numerosa, quam pulchra, quamque nitentia, quæ hodie constare melius pote intuentium oculos judicare, quam nostro sermone exponere. Quantum sit in calicibus decor, in distinctione gemmarum nec ipsos intuentium obtutus facile dijudicare reor; fulgent quidem gemmis auroque calices, prominent turres, micant coronæ, candelabra resplendent, nitet pomorum rotunditas, fulget recentarii cœlique varietas, nec desunt patenæ sacris propositionis panibus præparatæ; adsunt et statarii cereorum corporibus aptati. His omnibus crux alma ac pretiosissima varia simul et candida arcibus appensa, sanctique superjecta fulgetris. Hæc sunt opera Desiderii, hæc monilia illius sponsæ, hoc studium pontificis nostri, hoc emolumentum pastoris egregii, in his solum studium impendit, quod dum paravit Domino quidem honorem, sanctis autem venerationem, et sibi providit mercedem perennem.

CAPIT X.

Sub ejus quoque tempore res accidit non modiciter stupenda, siquidem nonnulla ita in hoc sæculo occulto Dei judicio aguntur, ut humanæ investigationi abdita omnino habeantur, magisque terrorem incutiant agnita, quam inquisitionem ingerant experta: unde et res, quam narro, stuporis pariter et admirationis plena esse constat, quia hanc ut dixi occulta Dei judicia secreta ejus obumbrant. Itaque die quadam dum vir beatus in unam ex ædibus, quam super ipsam amnis ripam exstruxerat, consideret, vox subito e fluvio emissa sonuit dicens: *Hora venit, homo non venit.* Ad quam mirum cuncti audientes attoniti diversa, ut in talibus solet, opinabantur portenta; venerabilis autem Desiderius cum esset altioris ingenii, cauta et pervigili consideratione causam proliquis animadvertit, jussitque illico famulis concito ad amnis trajectum pergere ac sollicitè circumspicere sicubi quæpiam transmeare violentem viderent, de quo præcepit, ut nullatenus fluvium permitterent intrare, priusquam ad se cognoscendo rei causa perducerent. Perrexerunt itaque ministri, et curiose ripam fluminis contuentes vident eminus quemdam equum vehementer stimulantem currere atque ad amnis trajectum pernici cursu festinare. Qui percunctantes vel cujus esset, vel quam ab eorum curret, audiunt ab eo Maurinii comitis se esse, atque ad ipsam festinanter pergere sibi esse jussum. Cumque mox responsione impleta fluvium præcipitanter vellet intrare, tentus ab ipsis ad episcopum ducitur. Percunctatus autem ab episcopo, quæ es et causa cursus ipsius, respondit: *Ancilla (inquit) vestra Placida ad filium vestrum Maurinium litteras me perferre mandavit: hujus rei gratia festinanter vado; ad quem episcopus: Sustine, paulisper, fili, quousque litteræ scribantur, ego epistolam dirigere volo, nunc jam ibis.* Dum ista dicuntur, ille adhuc ad amnem anhelans, nec coercere se valens, subito rubore perfusus mixtum aquæ poscere cœpit,

A anxie, ac vehementer satagere, quem episcopus cernens nimis anxie palpitare, festinanter valde vinum servis suis afferre mandavit, quos scilicet anxios curare præcepit; allato igitur viuo, nullatenus homori suo applicare permisit, sed longe repellens guttam aquæ clamare cœpit; cumque aqua fuisset allata valde inbianter cyathum præripiens deglutivit, et cum ipsa ut ita dixerim hausta, statim occulto Dei judicio in terram decidens, spiritum exhalavit, morteque subito præventus obrigit. Ex quo facto, cuncti videntes nimio timore percussi causam mortis hujus satis mirabantur attoniti. Desiderius autem occultum Dei judicium glorificans, atque ex hujus interemptione materiam sermonis assumens, multa salubria multaque terribilia præsentibus conclonatus est, asserens manifeste quod multum essent metuenda, cunctaque incomprehensibilia ejus consilia, proponens quoque hujus viri interemptionem, quod quamvis summo ipsi conatu, subtilique studio aque periculo eximere tentaverint, nullatenus tamen proposito mortis termino subtrahere potuerint; hinc agat unusquisque sollicitus semper suspectus quasi sub oculis Domini debet conversari, dum quæ illam mortis sententia præveniat nullatenus valet prævidere, qua de re necesse est ut tantum quisque sit semper paratus, quantum de repentini casus eventum constat esse incertus; sed de his satis sit dictum, nunc interim ad ea, unde digressi sumus, redeamus.

CAPIT XI.

C Desiderius itaque præter alia magnifica opera ædificavit monasterium sub ipso Cadurcæ municipio in cunctis ædibus eximium, septingentos circiter et quinquaginta passus a præcipua pontificum sede distante, quod summo studio, miro ac singulari opere in domorum vel ecclesiarum extructione patratum, vinearum quoque ac segetum ac pontis adjectionem circumscripsit. Monachos etiam copioso numero aggregavit, quibus post Ursicinum venerabilem virum Dadalenum abbatem instituit. Ipse autem profluo se amore erga ipsum cœnobium dedit, ut omnia quæ habebat necessaria, tam in utensilibus quam speciebus affluentissime ministraret: sepulcrum quoque sibi in eodem monasterio sub dextri lateris basilicæ volutione præparari jussit, ubi hodie in Dei nomine humatus quiescit. Sub ipso adhuc Cadurcæ oppido ædificavit in honorem sanctæ Mariæ semper virginis, cujus operis prosectorem Claudium abbatem constituit, ibique abbatiam gerere permisit. Alias etiam complures, et in Cadurco territorio, et in Albiensi oppido, tam infra municipia, quam infra urbanas, vel in Ecclesiæ Cadurcæ prædiis ecclesiarum compages cœpit exstruere, quæ per singula narrare non sufficimus: ex quibus hodieque pars maxima regionis decorata consistit, sed cum exteriori constructione præcipuum ei studium fuit animarum pariter culmina erigere, bonum quidem esse dicens domum Christo exstruere, marmoribus vestire, pigmentis lucubrare, auro gemmisque obumbrare, lacunaria ornare, pavimenta componere, sed

multo melius animas cœlesti sponſe dignas præparare, quia verum Christi templum anima credenda est.

CAPUT XII.

Sane vitæ suæ moderamina ita temperavit, in victu, in vestitu, in domo, in comitatu, ut nec nimium superflua, nec multum essent abjecta, siquidem omnes hypocrisis fictiones abjiciens mediam semper discretionem tenebat, non divitiis tumens, non contrahebatur paupertate, et læta et tristia æque continebat, melius dicens humilitatem in corde portare quam in corpore proferre, sciebat procul dubio quales Dominus querat ornatus, prudentiam scilicet, justitiam, fortitudinem, et castitatem, nihil siebat his virtutibus clarius, nihil hoc monili pretiosius, nihil hac gemmarum varietate distinctius. Clerus sane et omne ejus contubernium in publico episcopum, domi patrem habebant; sic enim omnes a majori usque ad minimum providebat, ut nihil nulli deesset, gravitatem morum hilaritate vultus temperabat, sermo ejus ad omne erat convivium de Scripturis aliquid proponere, salubria libenter audire, proponentibus verecunde respondere, utilia suscipere, recta præferre, prava refutare: callide enim acuteque discordantes magis blande docere, quam violenter convincere, et ingenio pudore qui ornabat ætatem quid opus esset simpliciter honesteque confiteri. Divina quippe præcepta sollicite scrutans, cœlestia oracula sæpius percunctans dicebat, quod deceret, sanam doctrinam, summopere studens, ne sermones ejus vel in modico contraria confunderent opera, recordabatur semper quod B. Petrus sacerdotibus præcipit dicens: *Pascite qui in vobis est Domini gregem spontaneæ secundum Deum, neque ut dominantes in clero, sed forma facti gregis et ex animo, ut cum apparuerit princeps pastorum, percipiat inima cœcibilem coronam.*

CAPUT XIII.

Cum exterioribus autem curis templo semper inserviens erat sollicitus si nitore altare esset aptatum, si parietes absque pulvere, si pavimenta essent sine sorde, si custos sollicitus, si cantor paratus, si æditus bene esset, si vasa nitentia et clara, si sacrarium mundum, si lucernæ accensæ, si lampades digne aptatæ, si vasa dominica munda, si altaris velamina honesta, et in omnes cæremonias strenua illi semper sollicitudo disposita, quisque dum sedule inservit templo merito ipse templum efficiatur Dei. Nullum quidem eo tempore in urbe Cadurcæ propositum monachi, neque habitum religionis aut regulæ cœnobialis intraverat: secta Columbanii procul aberat, instituta B. Benedicti longe distabant. Desiderii autem tempore hæc secta Cadurcæ intravit, hujus sub die hæc religio adolescere cœpit: nam et Marciliacense cœnobium hujus temporis a viris laudabilibus Anseberto et Leutado initiatum est. Et in ipso oppido sancti viri monasterium his diebus exorditum alia complura monasteria suo tempore sata creverunt.

CAPUT XIV.

Frugum vero abundantia et vinearum ac segetum copia tanta in diebus ejus succrevit, abundavit et exsuperavit, ut nec ante acto tempore nec post transactio similia ulla antiquitas meminere adfuisse; nam intra urbem nullus fere egenus erat, nullus quod cupiebatur difficulter inveniebat, nec ulla victus aut vestimentorum indigentia, sed omnia plene, omnia exuberantia affluebant, vicinæ quoque civitates ex abundantia Cadurcorum alebantur, nec immerito; Dominus enim opera ejus dirigebat. Ipse rerum copiam multiplicabat, ejus Desiderius præcepta desiderabilia super aurum et lapides pretiosos ducebat, vere quod scriptum est implebat: *Diligentibus Dominum omnia cooperantur in bonum*: non enim surda aure transierat quod Dominus in Evangelio dicit: *Quærite primum regnum Dei et justitiam ejus, et hæc omnia adjicientur vobis*. Et quia studiosus auditor fuerat, non solum auditor, sed etiam factor, ideo Dominus invento qui mereretur accipere gratiam suæ largitatis non negavit, imo quod olim promiserat, mirabiliter in eum adimplevit. De talibus autem per prophetam dicitur: *convertimini, ait Dominus, et videbitis quid sit inter justum et injustum, et inter servientem Deo, et non inservientem*; hinc vero scriptum est: *Oratio justi celos penetrat* et iterum: *lilici in timorem, et timuit me, et a facie nominis mei pavebat*. Denique tanta eum rerum copia, frugumque ubertas comitata est, ut cum die quadam unum ex colonis de villa Rusticiago interrogaret, quot vini amphoras in Dominico tunc pro canone esset illaturus, rusticus ille centum et eo amplius metras se solum in dolia illaturum respondit; ex quo Desiderius valde lætatus, nimumque largitatem bonitatis Dei miratus, qui ita uberes fructus in diebus suis contulisset, maximas Deo laudes, Christoque gratias retulit, conjiciens quid in majoribus, qui multa laborarent divina largitio conferret, quando in hoc tantillo et modico, tam uberes fructus contulisset. *Tu ergo* (inquit) *pauperrime, mille amphoras habes? cumque ille ita esse affirmasset, Desiderius ei ipsas centum dimisit, quas in dolia inferre debuerat, lætatus et multum in Domino gratulatus, qui tantam pauperibus largitatem in diebus ejus concessit.*

CAPUT XV.

Habebat eo tempore plures Dominus Jesus in Gallia nobiles servos, Arverno Gallum, Bituricis Sulpitiu, Rutena Verum, Agenno Salustium, Eugolisma Ebargehenum, Petrogorico Austerium, Noviomio Eligium, Metis Arnulphum, Luco Austrasium, Mestarone Diodorum, Cadurca Desiderium. Cumque Desiderius inter divina officia plerumque ædium ædificationi insisteret, multique fragiles difficultatem opum ei objicerent, ille constanter asserens dictis illud proverbium quod *nihil sine magno labore in hac vita Deus dedit mortalibus*; in adversitatibus vero illius dicti recordabatur: *Pati* (inquit) *neccesse est mortalem multa mala*; et illius: *Aurum et argentum*

probat ignis, homines autem justos, tentationes; et illud: *Fili, accedens ad servitutum Dei, sta in tentatione.* Damna quoque rerum vultu læto portabat, et omnia adversa æquanimitè tolerabat. Canebat jugiter orans: *In corde meo abscondi eloquia tua, ut non peccem tibi;* et illud: *Meditatio cordis mei in conspectu tuo semper.* Cujus ego nunc utilitatem, industriam et sagaciam si arbitrer a me dici posse, non sapiam: dum enim studium ejus in rebus quam plurimis considero, in memetipsum deficio, dum utilitatem attendo, pro ipsa quantitate vehementer obstupescō; miror enim et supra modum stupeo tanta et talia per unum hominem potuisse fieri. Opinor quidem ab India usque Britanniam, a frigida Septentrionis plaga usque ad sinum Atlantici Oceani non fuisse virum meliorem: hujus Desiderii nomen magnæ insuper opinionis, magnæque erat apud omnes reverentiæ. Dei insignis amator, et pauperum pius sublevator, cujus habitus, vultus, et incessus disciplina virtutum erat, vigil sensus, nec vanis cogitationibus patens, corpus pariter animusque tendebat ad cælum. Erat ergo Desiderius mente justus, opere devotus, charitate diffusus, hospitalitate solatus, in eleemosynis largus, in prosperis et in adversis cælo semper intentus, qui præter alia imitanda exempla silentium ac studium in tantum sectatus est, ut in domo, in conviviis vix ridens, aubelantiæque verba quis percipere posset, sciens scriptum, quod *corrumpunt bonos mores confabulationes pessimæ,* et quod *in multiloquio non deerit peccatum:* proinde hoc valde mirandum, ut inter tantam hominum cætervam, tantum possit silentium perdurare, ut nemo in vocem prorumperet, nemo se in plausu auderet extollere, et hic timor non solum in convivio, sed in omni loco conversationis ejus permansit, nullus ut episcoporum majorem hunc amorem, nullus super eum majorem aliquando habuerit timorem; in ipsa autem convivii passione tanta elegantia, tantaque affluentia suppetebat, ut omnes superabundarent, ut nulli nihil deesset, nulla necessitudo, nulla pervenientium mussitatio subriperet convivas. In domo ubi habitare vel discumbere erat solitus, ita sollicitè providebat, ut nullus ibi pulvis errorem, nullus firmus horrorem inculceret; non ibi canes fastidium animo, non sues tadium irrogabant, non alia hujusmodi quadrupelia voluptuosa potiusquam necessaria intererant, non simius jocum, non histrio risum, non scurra cachinnum excitabat; sed totum locum gravitas, totum potentia occupabat; nam prædicta inepta ita semper odiosa habebat, ut si fortuito quolibet loco canis vestimento ejus appropinquasset, vel si domum, in qua degebat, quamvis cursim intrasset, grave sibi discrimen allaturum judicaret; unde cum a nonnullis pro hac observantia detraheretur et carmina amatoriam proferrentur, aiebat: *Non immerito plus placet mundo qui Christo displicet; si e mundo essemus, mundus utique quod suum erat di geret; nunc autem oculi mei ad Dominum semper, quia ipse evellat de laqueo pedes meos; et mihi adherere Domino*

bonum est, ponere in Domino meo spem meam. Quid plura loquendo immorer, nobilem jam insignemque in omni parte Ecclesia habebat, in plebe dabat in affluentia eleemosynam, parans sibi divitias profuturas, thesaurum non deficientem in cælis, studens sibi facere amicos de inimico mammona, qui eum reciperent in æterna tabernacula. Jam vero illius confabulatio et familiaris collocutio quam esset sana, quamque dulcis, quam efflax, vix dictu credibile: monebat jugiter subjectos, Dei præcepta servare, Dei mandata implere, castitatem custodire, charitatem fraternitatis diligere, inferni supplicia metuere, paradisi gaudia desiderare. Inferebat autem docens *quo magis inimicorum circumdamur agminibus, ideo semper nos oportet esse sollicitos;* addebat quoque quod caro fragilis pugnat sola cum pluribus, ideo exercitatissimum pati oportet conflictum, et ne paveamus, Heliseus hortatur dicens, quia *plures nobiscum sunt quam cum illis.* Memorabat frequenter quod humani inimicus generis, *rugiens sicut leo, querit quem devoret,* et quod non querit homines infideles, sed de Ecclesia separare festinat; unde et libro Job, *esca ejus electa,* de qua re verba Domini geminabat dicens: *Vigilate et orate, ne intretis in tentationem;* nec non et Pauli monita sæpius ruminabat, dicens: *Orationi instate, vigilantes in ea in gratiarum actione.*

CAPUT XVI.

Cum autem irruptiones gentilium circumquaque audiret, dicebat: *Nostris peccatis Barbari fortes sunt, nostris vitiis Romanum succumbit imperium. Infelices, aiebat, nos quantum displicemus Deo, ut armis Barbarorum ira illius in nos desæviat! Pœnitentiam (inquit) agamus, ut tandem repropitiatus Deus misericordiam suam nobis tribuat in sempiternum.* Præterea quantum fuerit Ecclesiæ Cadurcæ in augmentationem rerum, et omnes pene norunt, et ipsa possidens Ecclesia testatur, multos quidem nobiles, multos attraxit mediocres, per quos Ecclesia constat ditata, multa terrarum compendia, multa villarum prædia acquisivit, non quidem ulli tollendo, sed benefaciendo, et coemendo, eodemque attrahente multaque beneficia affluenter tribuente, Polus, Agilenus, Dodo, Badigenus, Severus, Matregisilus, Nicassus, Dadinus, Abulnaus, Abremundus, Felix, Ausceldes, Gauretredes, Basona, Orontia, Nicetia, Afrania, multique alii, quos longum est narrare, res sponte suas donatione Ecclesiæ dederunt. In quibus et ex quibus præcipue Bobila senatrix Romana.... quondam relicta multa rerum suarum Ecclesiæ ejus, necnon et monasteriis contulit, non solum prædiorum ac villarum collationem, verum etiam ornamentorum ac pannorum multam summam indulsit. Ipsaque in monasterio beati viri, et in eadem basilica, ubi ipse requiescit, sepulturam emeruit. Dedit ad ipsud monasterium, pro oblatione, vel loco sepulturæ suæ, villas quatuor juris sui, quarum vocabula sunt hæc: Villaris Venestria, Vinistri, Lingius, et Mauringus. Desiderius

autem præter eos, quos dulcedine et studio bonitatis suæ traxit, ipse quoque tanto se amore in Ecclesiæ Cadurcæ ampliationem diffudit, ut quidquid ex parentum successione, quidquid regio munere, quidquid propria comparatione acquisisset, eidem libere per testamenti seriem delegaret: nam et Caderense de Usco ex pago Cadurcino impetravit, et regio ex hoc præcepto perpetualiter Ecclesiæ obtinuit, exceptis aliis firmitatibus quas suis etiam alumnis diversis in locis concessit, Ecclesiæ Cadurcæ specialiter dedit.

CAPUT XVII.

In territorio Cadurcino dedit villas..... In Albiensi vero territorio dedit villas, Sessio, Tantalio, Nasio, Lautrego, Petrogo, Terriniaco, Picio, Cerveano, Carciago, Marato, Buxio, Marinio, Caborinno, Grancialo, Marinamas, Aquimo, Marcialio, Erobeno, Fraialo, Blanciniaco, Galliaco, cum domo eximia miræque magnitudinis compta, infra muros Albiensis oppidi constructa. Dedit per basilicas monasteriorum Cadurcæ positas villas has: basilicæ S. Saturnini, et S. Ursicini dedit in Cleppio Legidiaco, et Thoerio; monasterio S. Stephani dedit villas Aquiniaco et Cassiaco; basilicæ S. Mauricii dedit Dunsiacò, Cambone, et Ossilingas, dedit Taxonias, et loco nuncupante Coercoexeno; basilicæ S. Jacobi, dedit Maciaco et Petrolieco; basilicæ S. Martini, dedit Daneciaco, Cepolia; et basilicæ Sanctorum Parvulorum Justi et Pastoris Cornutio et Cocurnaco; basilicæ S..... dedit portiones Malaritio, Fascito, Polonio, et Costrio; basilicæ S. Remedii, dedit portionem Vilantreco, Carrechia, Somelingas et Criscentio; basilicæ S. Egenii, dedit villam Fosciaco; item basilicæ antedicti S. Martini Tensalas, et Parnis et Lalo; monasterio Cadurcæ sito, ubi ipse corpore requiescit, dedit villas..... Matciliaco, Carvuiaco, Criscentio,..... Prosemogo, Montiago,.....; deditque ibi ex collatione illustris viri Agiles, Pisciacò, Gaucinico, et Marcellago. Sed quis valeat digno cauere præconio, quanta pio optatu, quanti operis studio Cadurcæ Ecclesiæ contulerit, quanta ob animarum medelam incitamenta, quanta ob corporum stipendia exercitia gesserit, quod singulari studio ac pene inaudito ingenio omni tempore mœnia urbis suo labore struxerit, quod villas omnes, quod prædia Ecclesiæ decoraverit, quod monasterii septa prærogativa quadam dignitate in..... domorum amplitudine et basilicarum admiranda altitudine, ac volutionum ambienda pulchritudine..... pene studio ac singulari fabrica sustulerit. Denique, primam inibi more antiquorum basilicam præripiens quadris ac delolatis lapidibus ædificavit, non quidem nostro Gallicano more, sed sicut antiquorum murorum ambitus magnisque quadrisque saxis exstrui solet fundamentis, cui geminas summo porticus adijciens opere assimilavit, in quibus quidem et in cunctis episcopatus sui statu, tanto se accinxit studio, et tanto effudit ingenio, ut quicquid ad utilitatem, ornatumque municipii, ac prædiorum ejus pertinet, exquisierit, ventilaverit, invenerit, atque crexerit, et licet hæc

A magna sint consideratione suf, sed majora illa sunt externa exercitia, quæ silentio magis quam infirmo sermone obumbranda erant. Cujus erat sensus pulcherrimi nectaris suavior et digno canore vox dulcior, proinde nihil illius severitate jocondius, joconditate nihil illius severius, nihil visu tristius, tristitia nihil suavius; ita erat gravis in victu, ut hilaritas non deesset in animo, sermo silens et silentium eloquens, ut ministri ipsius nutu potius quam voce affectus ipsius agnoscerent. Paulus quidem vilebatur in vulu, et Petrus agnoscebatur in spiritu; illius austeritatem hujus mansuetudine temperabat, ita ut cum præsentiam ejus vix sustineret, absentiam ferre non posset. Habebat amicum fidelissimum quemdam, nomine Arvanum, huic autem sæpissime elemosynam commendans, ejus per officium in corda pauperum transmittabat; per eumque ei tales sacculos cum solidis ad erogandum tradebat, qui vix manu capi, levareque possent, ista quidem occulta, et solo Deo conscio veluti quemdam peculiarem faciens in partia paradisi transmittabat. Palam tamen multos erogabat, sed indesinenter eos pauperibus spargebat, abscondi quippe non poterat, tam larga bonitas, et nimia largitas, tamque profusa dispensatio. Iste Arvanus de genere Scotorum, veniens multis annis sub cœnobio sancti viri, ac sub ipsa basilica, qua vir beatus requiescit, vitam venerabilem duxit; vixit autem post mortem beati Desiderii annis plus minus quinque, deum obiens ubi vitam duxit, humatus requiescit. Sed dum venerabilis Arvani mentionem facimus, dignum putò commemorare, quid per ejus occasionem vir beatus ex Dei dono prophetiæ experimento cognovit, siquidem et nonnunquam ex dono supernæ gratiæ ita longe positus providebat, ut in sui præsentiam gesta constarent, hinc est quod rei ejus, quam narro testis existens spiritum scilicet prophetiæ agnitum demonstravit. Ergo studium erat jure egregio Desiderio de hujus peregrini stipendio sedulam sollicitudinem gerere, ideo singulis diebus ex mensa sua opportunam ei alimoniam subministrare curaret. Quadam itaque die consuetos cibos cum panis et poculi subsidio per duos ei clericos dirigere festinavit, quorum unus Leudolenus, alter vero vocabatur Diacolenus. Clerici itaque ferentes ea, quæ episcopus viro Dei direxerat, dum iter carpunt, malo utuntur consilio, et medio ferme viæ excursu, cum se ab omnibus remotos conspicerent, gulæ concupiscentia vincuntur, denique tam suavitate ciborum, quam vini fragrantia incitati illecebrosæ gulæ consentiunt, promotique eminus de via, et inter condensas buxos residentes ea quæ portabant comedere præsumunt, affluentemque vini ac cibi perceptione ventrem ingurgitant, exsaturatique minimum quod esu supererat, accurate valde recondunt, ita super se..... post trium vero horarum spatium, ut putabant a servo Dei redeuntes, episcopum adeunt, eique velut innoxii assistunt. Verum prior Leudolenus genu præsulis exosculans quasi ex viro Dei gratias referre, ac salutationes conatur exponere; cujus verba in medio ferme conatu præveniens, Desiderius

Spiritu Dei sibi revelante : *Bene (inquit) belle mentiris, cur ita me frandare voluisti? Patrem hodie Arvanum miuum vidi, ti, et quæ ei direxeram, male usurpasti, nunquid vero in præsentem aderam, quando inter condanos saltus residens, cibos quos Dei servo direxeram, comedebas? Numquid non præsens eram, quando vinum bibebas et panem edebas? Cumque adhuc ille defendere niteretur, et culpam perjurii adjectione cumlaret, protinus ab episcopo jussus foris trahitur, et pro geminata culpa acrius coeretur: alterum vero, qui erat minor tempore, episcopus retentum blande demulcet, ut omnia sibi quæ egerint per orlium manifestet. Clericus vero cum se deprehensum vidit, cuncta coram omnibus, sicuti gesta erant, et episcopo jam prædixerat, exposuit, et ita misericorditer dimissus ab ultione culpæ liber evasit. Hæc autem causa multis demum et reverentiam, et emendationem insevit, ut nemo jam beato pontifici mentiri præsumeret, dum nihil quisquam ei latere præsumeret.*

CAPUT XVIIII.

Desiderius autem amplius quotidie in amorem Cadurcæ Ecclesiæ calescens, ipsam et hæredem habuit, et hæredem instituit. Denique sub anno decimo sexto Sigeberti regis testamentum condens, præter villas supra jam dictas, omne præsidium, cunctamque supellectilem, quam habere potuit, sanctæ matri Ecclesiæ Cadurcæ dereliquit. De pristino vero Ecclesiæ præsidio nihil tenuit, sed totum integrum, illibatamque reliquit, cui Ecclesiæ quam humilliter quam... quam affectuose et eadem obtulit melius cognoscitur, si verbis ipsius, sicut dixit et scripsit, intimetur. Inter cætera vero, et ad locum in seriem testamenti sui ita posuit : *De præsidio (inquit) meo vestimenta, scamnalia, mensalia, et electubilia [Forte supellectilia], aurum vel argentum quod ex successione parentum habeo, vel quod in regis aula, et in servitio principum elaboravi, et mecum veniens destuli, quicquid exinde adhuc super est, quod in ornatu est, et quod ad ministerium tuum, sancta mater Ecclesia, non impendi, totum et ad integrum possidendum tibi relinquo, tuoque juri dono, atque transcribo, ac obtestor ut nullus successorum meorum quicquam exinde ex tuo gremio, ex quo ibi in cruatum tuum feci, vel in thesauro tuo indidi, auferre præsumat : argenti vero tuum vel reliquas species, tumque præsidium, quod in tuo repository, sancta mater Ecclesia, hæres mea, totum inveni, salvum relinquo, nihil enim exinde expendi, nihil minui, nec ulli cuiquam dedi, sed sicut mihi est sub oculis Dei traditum, ita totum salvum relinquo, libros vero meos tibi matri Ecclesiæ, tuoque advocato successori meo commendo, semper quæso virtute sanctitatis tuæ ab insidiis quorumque defensentur, ut sub tuo se patrocinio pervenisse congaudeant. Pauperes autem tuos, quos ego semper pervigili cura enutrivit, tibi commendo, precorque, ut tua sanctitate et advocati tui sollicitudine alantur, et pie semper gubernentur. Sic quoque ut me abente sibi aliquid deesse non sentiant, nec se doleant pastorem mutasse. Huc usque Desiderius; nos vero libenter fatemur, quod nullum Ecclesia*

A pastorem post ejus abcessum similem et habere poterit. Sed interim jam a locutione cessandum est, jam præconiis ejus hic finem pagella imponat, nunc ad terminum vitæ hujus articulum deflectamus, et qualiter ab hac vita migravit, explicemus.

CAPUT XIX.

Rex Dagobertus decimo sexto regni sui anno administrato, pacifice obiens duobus filiis Clodoveo et Sigiberto regni scepra reliquit, et Clodoveus quidem regnum Francorum, Sigibertus autem Austrasiorum regnum gubernavit. Hujus Sigiberti xvii regni anno, episcopatus autem sui xxiii, parat Desiderius solum proficisci patris possessionis, Albiense territorium visitare : profectus ergo nobili suo comitatu rura Albigensium adiit, cunquæ jam Dominus pro cunctis eum laboribus vellet remunerare, visione missa accersiri jubet, moxque febre correptus cepit deinde amplius ægritudine vallatus..... in villa monasterii sui lecto decubuit; sic sensim paulatimque decora illi facies, et ornus pretiosi odoris..... dignitas corporis marcescere cepit, cumque æstualet febribus et venarum fontes calor hauriret, lapso anhelitu triste ministrorum frequentabatur..... proh dolor! afflante austro lili candor, et purpura violæ in pallorem jam sensim migraverat, universis flentibus ipse valde fessus pio ommos hortatu consolabatur, et cum esset fortis animo, in ipsa quoque morte vriliter se agebat. Post tandem ergo ultimo omnibus vale dicto, et oratione ad Dominum transmissa sub die xiii Kalendarum Decembrium ultimum spiritum exhalavit. Subitus repente clamor totius villæ amplitudinem clangoribus replevit, omnesque plateas currente nuntio confusus rumor obsedit. Quid multa? composito mox honestissime corpore, feretroque indito iter arripiunt, profectusque est exercitus copiosus, et multa populi turba in obsequio funeris; cumque Albigensium rura præterissent, et terminos Cadurcorum penetrarent, mulier quædam, quæ infestissimam dæmonis incursionem patiebatur, egressa a sinibus illis, et pergeus post urbem, magnis et turbatis clamoribus prætereuntes fatigabat. Cum sæpissime inclamatione nomen defuncti præsulis iugeminaret, omnes fere in sui admiratione cum ingenti stupore convertebat, donec post longum viæ circuitum ventum est ad prædium, cui vetus antiquitas Miliacum vocabulum indidit; ubi cum numerosa exsequiarum frequentia ante corpus pretiosissimum præsulis pervenisset, mulier turbatis clamoribus omnem pene catervam in maximo stupore adducebat : torquebatur enim impurus spiritus, quia virtute divina illuc se videbat adduci, ubi maximam vim perpeti formidabat. Miliaco ergo corpore posito, mulier vexata, spumans, et multum se discernens assistit, cumque ut ferus taurus vehementer debaccharetur, et nunc torvis oculis, nunc pallentibus genis, nunc spumantibus ac tremulantibus labris diversis modis torqueretur, feretro tandem adjuncta prosternitur; mox autem ut superjecta velamina tetigit, divino jussu fugatus dæmon aufugit, sicque ad gloriam Christi, et laudem præsulis Desi-

derii mulierem sanam reliquit; ex quo facto omnes qui aderant, in admirationem conversi, gratiam Christi et merita confessoris Desiderii glorificabant. Deinde ergo corpore levato certatim progressi Viniagram atque Aciagram.... Cumque post tandem corpus pretiosum Cadurcæ proximaret, coacervatim populositas per diversos aggeres obviam extincto patri processit. Nullus monachus domi resedit, qui non obviam pastori procederet; lugebant autem omnes, confuso clamore clangebant, et inter diversos gemitus hæc solum verba resonabant, *Eheu, Desideri, heu!* clamabant cuncti: *Pastor vere, cur nos dimittis? Cui gregem tuum commendas fovendum?* Clerus nimirum plangebat patrem, abbas pastorem, parvuli nutritorem, senes tutorem, viduæ protectorem, pupilli defensorem, et ut breviter complectar, tota eum civitas, tota simul planxit Ecclesia.

INCIPIUNT MIRACULA.

Perductus itaque ad suum monasterium, ac sepultus est in ecclesia, quam ipse, ut supra diximus, insigni opificio ex utraque parte super.... tectis quadris ac.... ædificaverat, ubi diligenter humo tectus æterna in requie quiescit soporatus, ubique vallatus tumba, surrecturus jacet in gloria: sed quibus post mortem miraculorum effulserit signis, dignum est me commemorare, cum vos desideratis audire.

Miraculum I.

Clericus quidam nomine Theudolenus, dum vir beatus esset superstes, frequenter ab eo pro assiduis excessibus arguebatur, cumque ille obiisset, et (ut dictum est) jam humatus exstaret, prædictus Theudolenus exultans super ejus morte cum cachinno exprobrationis elata verba ac convicia proterva et injuriosa non timuit jaculari: quæ contra statum suum locutus et divina. . . . it. . . . se indignatione ob injuriam sancti, sensit demum iudicium. Nam ex eo tempore miranda debilitate oppressus, omnes dies vitæ suæ cum dedecore duxit, ita ut et officium manus dextræ amitteret, et a pedis gressu impediretur, et linguæ usu denudaretur. Siquidem tortus incedens, ac turgidus, pravitatem tortuosæ mentis exemplo debilitatis monstrabat, nec passus est Dominus contumacem sui sancti, celeri interitu compendium mortis finire, sed diutino flagello, ad terrorem multorum rebellem. . . . coerceri.

Quædam quoque mulier ex parte Causuncha Senomagense veniens similiter super ejus morte visa est exultasse, quod et ipsa simili modo castigata non simili exitu perpressa est: nam divina ultione. . . . nervorum subita contractione damnata est, adeo ut sicut ericius complicata in modum glomeris volutaretur, nullamque spiritus sui requiem, neque per diem, nec per noctem capesceret, donec. . . . ejusdem consultum votorum sponso cum piaculi satisfactione crederet: die igitur annuali depositionis ejus adventante, parentes contractæ femiæ votorum munera simul cum femina debili-

tate oppressa beato confessori offerunt, quamque manibus ante sepulcrum projicientes subnixas preces cum satisfactione piarum importune atque opportune ingerunt. Et factum cum diu precibus insisterent, multumque gemitibus satisfacerent, erecta mulier sanitatem recepit, atque ita ad domum propriam cum magna jam hilaritate, maximaque suorum congratulatione rediit. Sicque factum est ut quæ laborioso vehiculo fuerat adducta, libero gressu remearet. Gloriosa, Christe, tibi tua sunt opera, tua ubique fulgent magnalia; etenim quod servi tui faciunt, tuis beneficiis consequuntur.

Miraculum II.

Post aliqua temporis curricula, mulier quædam ex prædio Ecclesiæ Blandiacensi, quod adjacet fluvio Dordonix, cæca effecta, plurimum temporis laboriose valde ducebat. Hæc quandoque Dei miseratione admonita in visione, sibi dicebat Jussum, ut sepulcrum beati Desiderii medendi gratia expeteret: ducta itaque est ad urbem, atque ad basilicam sancti viri a duobus filiis suis oblata, ubi parvo spatio excubans, confessore intercedente, et æterna Christi pietate largiente, lumine recepto ad propria remeavit, sicque factum est, ut quæ alieno ducatu cum labore venerat impingendo, proprio jam arbitrio, visu recepto gaudens rediret ad domum: siquidem cunctis stupentibus præibat exultans viam carpens, et viæ ducem ulterius non requirens.

Miraculum III.

Inter hæc miranda res se memoriæ obijcit, quam divino jussu actam reor, ut per hanc Dominus clarior ostenderet merita sui antistitis, quam pretiosa apud eum constarent, cujus ob honorem claritas miraculi emicuisset, cunctisque occasio expetendæ medelæ oriretur, dum divina actam pietate rem nullus ambigeret. Itaque dum baculus beati viri, qui a Gallis cambucia vocatur, ad caput sepulcri illius sedule dependeret, quadam subita infusione madefactus, uberrime guttas aquæ manare cœpit; ad quod miraculum multi aggregati ingenti stupore tenebantur, admirati quidnam autem altioris consilii, quod medendi gratia, illud hoc (sic) fuerit ex divina præstantia datum denunciant: quod demum factum est; nam quoties ægri adveniunt, baculum ipsum aqua perfusum ac tenuiter lavatum incommoditatibus datur, et multis per hoc sanitatis bona tribuuntur. Adjiciatur etiam illud quod actus retulit miraculum actus.

Miraculum IV.

Quodam itaque tempore Aredius Ruthenæ urbis episcopus fortissima ægritudine correptus, graviter laborabat per dies plurimos. Cumque multimoda medicorum argumenta ei sedule impertirentur, nihil prorsus proficere poterant, sanctorum e diverso adminicula quærebantur: sed nec sic recuperare valebat: nolebant enim sancti Martyres ei sanitatis commoda præstare, ut quanta esset in Desiderio virtus facillime declararent. Aredius ergo afflictus cum nullum perfugium in tota urbe sua, nec per medicorum industriam, nec per sanctorum adminicula

posset invenire, tandem post quinque mensium tempus ad Cadurcam urbem atque ad auxilium sancti Desiderii tota mente se convertit; accito itaque viro strenuo, vocabulo Thelano, ad sepulcrum beati viri Cadurcæ sub oppido cum muneribus dirigit, poscitque ut quamvis esset laboriosum, quantocius pergeret, atque eo liquore aquæ, qui illic gratia sanitatis largitur, sibi deferret. Perrexit itaque ad civitatem Cadurcam Thelanus, memoriam beati Desiderii adiit, munera intulit. sancti viri lavari deposcit. Cursu concito Ruthenis rediit, decumbentem atque in extremis positum invenit, quem. seque sanitatem illi detulisse promisit. Mira res et vehementer stupenda! Cumque vasculo reserato aquam proferre speraret, vinum effluxit, tantaque fragrantia ex vase manavit, ut in grandi stupore ingentique miraculo omnes converteret: tantus quippe eximii saporis odor inde processit, quantum nec inter vini sapidissimi vasa reserata solet sentiri; bibit ergo episcopus cum magno tremore et immensa. et cum ipso hausto, mox sanitatem recepit ac multo post tempore. mansit: nam ita celeris subsequuta est sanitas. ut eo die cum. et amicis ad convivium publicum sederet, secumque de Domini gratia, quam sibi per famulum suum concesserat, vehementer gratularetur: cumque post aliquos dies urbem Cadurcam et medicum suum gratiarum jura soluturus inviseret, ea quæ retulimus germano suo Agaruo episcopo referre studuit. Ille vero cum mente. esset dubius exstitit, nec mora et vehementissima febre correptus, non aliter sanari meruit, nisi frequentissima repetitione, crebris discurrentibus missis, ad medelam beati Desiderii sese convertens ex corde conferret.

Miraculum V.

Alio autem tempore Frebundus abbas ut. incedens gravi tædio confectus per dies multos laboravit; tandem in visione bis terque admonitus, ut ad præsidium Beati tota mente se conferret, eoque ad. ad ejus sepulcrum delatus esset, ubi sicut oportebat innixus orationi insistens Christi Domini misericordiam ex interno cordis affectu postulavit, post non multum vero temporis spatium, divina miseratione præventus medelam, quam optaverat, adeptus, sanus ad propria reversus est.

Miraculum VI.

Alio rursus in tempore sacerdos quidam, nomine Dracolenus, gravi ægritudine confectus laborabat per dies plurimos, in tantum ut cibi perceptione penitus arceretur, cumque XIII dies aderat, et sacerdos vi febrium depastus sine cibo durabat, cum ejus repente incidit in mentem sancti Desiderii suffragia expetere, eaque ex medicina loti baculi postulare. Ventum itaque ad ejus sepulcrum est, medicina petita, salus impetrata (in villa enim Caseamo æger decumbebat): allata ergo medicina die decimo septimo, æger gustavit, continuo autem cœlesti rore perfusus convaluit, surrexit, comedit, et sanatus est.

Miraculum VII.

Item alio tempore infantulus quidam, nomine Mumolenus, validissime ægrotans ad extrema pene deductus est. Cumque dies depositionis beati Desiderii instaret, nocte, qua laus vigiliarum celebratur, a matre propria oblatum ante sepulcrum antistitis projectus, et non longo intervallo, confessore orante, Christi gratia largiente sanus factus puer, parentibus jam exsultantibus redditus est. Gratias tibi, Christe Salvator, tua agimus creatura, et in minimis et in maximis tua opera cognoscimus, et ideo te, et in omnibus admiramur, et pro omnibus laudamus. Tibi gloria in sæcula sæculorum. Amen.

Miraculum VIII.

Alio vero tempore adolescens quidam.
B *Deest reliquum capituli octavi et initium noni.*

Miraculum IX.

.
.
prodesse solet ægro illi deferre exposcit, factum est; præcurrens autem ejus servus, cui nomen Prosperius ad sepulcrum Sancti contendit, custodem adiit, aggressus benedictionem exposcit, imperata secum detulit, ægro impertit, confidenter accipere monuit, quod cum fecisset. spiritus gratia largiente, recuperare meruit sanitatem, sed non solum ad sepulcrum ejus hæc signa gestare arbitramini.

Miraculum X.

Pompegiacum dicitur prælium quod beatus Desiderius a potentibus quibusdam personis caro pretio comparavit, Ecclesiæque ditioni adnexit, quem ipsum locum, ut pote care cœmptum, mirifice diligebat, et plerumque ibi ad manendum divertere solitus erat. Post mortem vero ejus, incolæ loci in cubiculo, quo pausare consueverat, ut pote magni stratum venerabantur, præcavescentes privatorum ab eo frequentiam, et pecorum, canumque ingressus cohibere studebant. Clericus quidam vocabulo Bertus, illic quondam ad manendum ductus caballum quoque suum in locum cubiculi manere intromisit, quem cum habitatores loci. non possent; eum tam (sic) monere studuerunt, *ne stratum ipsum tenere præsumeret, quo dominus* (inquiunt) *Desiderius pausavit, ideo pecus horridum hic intrare non debet*; quorum ille consilium leve reputans, dictumque rusticorum parvipendens in promptu neglexit sermonem; caballum, quem sibi pretiosum habebat, ibi ad manendum constituit; et factum est cum die crastino valde diluculo caballum ipse pervideret prostratum, per terram exstinctum invenit, et sic non sine. atque admiratione a loco illo discessit. In loco autem ipso arbuscula quædam plantata usque ad supremos parietes excrevit, quæ commoda incommoditatibus dicitur conferre. Gloria tibi, Christe, qui ita servos tuos nobilitare consuevisti; tibi semper gloria, Nate cum Patre, et Spiritu sancto in sæcula sæculorum. Amen.

Miraculum XI.

Adjiciatur et illud quod moderno tempore gestum est miraculum tempore nuper transactæ quadrage-

simæ. Oblatus est ad sepulcrum sancti antistitis parvulus quidam nomine Hidulphus, filius cujusdam Edolæ, quem pestis atrocissima depastum pene in extremis deduxerat. Cujus ob causam parentes afflictu ad memoriam, ut dictum est, beati Desiderii proferant, filiumque pene exanimem proferunt ante sepulcrum, vota gratuita spondent, ubi custos cum parentibus oratione facta, ex eo oleo quod coram sancto sepulcro habetur ægrum. monetque irrevocabiliter fidem assumere, eaque de merito præsulis sibi supra vires præsumere credidit. Ergo. . . . perunctus potatusque abiit, et sanatus est, paucisque interpositis diebus munera votiva deferens, sanitatis suæ auctorem profuse magnificeque honoravit.

Miraculum XII.

Pauci admodum fluxerant dies, et ecce adolescens quidam, Alamontus nomine, horrore cujusdam morbis perfusus turgentium malandriorum copia maxima faciem scabridam et quibusdam pustulis obseptam æditu ostendit. Cui sacerdos, cui id officium commissum erat, orare. . . . et fidem de merito præsulis monuit. Ut ergo oratum est, æger adstitit, eoque (sic) ex oleo beati viri deformitatem, cunctaque constructam congeriem perunxit. Et, o mira virtus, ita demum omnem putredinem sanie illius delibutis salebris succidit, emundavit, abstersit, ut nec vestigium quidem cicatricis ullius in facie remaneret.

EPILOGUS.

Sed longum est verba per singula exerere, quanta tibi quotidie per Domini servum sanitatis commoda diversis ægritudinibus conferantur. Unde his interim studiose missis ad clausulam jam præconiorum ejus articulum coarctemus. Puto enim, et si sensum rustico prolixum teximus sermone, quod tantis meritis ejus digna præconia nullatenus æquiparare valuerimus; nam licet extemporalis dictio absque ordine sensuum, sine lenocinio et compositione sermonum; ex his tamen advertere potestis, qualiter homo Dei a principio usque ad finem pervenerit, et quanta bona, quantaque magna studiis ac meritis ejus alumnae plebi collata sint. In cujus abscessu genuata calamitas protestatur. Nam Cadurca urbs, quæ eo superstitute florentissime opulenterque præ cunctis fere vicinis urbibus emicuerat, ejus jam abscessu frequentibus bellis convulsa, ad interemptionem pene devoluta est, continuatis jam incurtibus et innumeris pestilentis depopulata gemiscit, ac rerum copiam et frugum opulentiam quam merita Desiderii urbi advexerat, eo migrante simul quoque ablata sunt. Et non absurde cuncta cum illo migrasse creduntur. Talem ergo patrem, talemque pastorem dignum est ut boni colant, noxii timeant, prædicent fideles, mirentur sacerdotes, qui vivens inter peccatores ad hoc forsitan raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus, et ut de justo quoque scriptum est, placita erat Deo anima ejus, ideo properavit educere illum de media iniquitate; ablatas est ita ex præsentis sæculi

A tenebris; eoque ex hac peregrinatione ereptus, jure sanctorum cœtibus jungitur, quia tanto opere sanctorum officia, Ecclesiæque ministeria, diversis metallis compendiisque obumbravit; cujus solertiam et industriam specimen parietes tui, Cadurca, testantur, cujus diligentiam, elegantiam et studium Dominica vasa, ut supra jam diximus, diversaque Ecclesiæ ministeria.

quibus mirabiliter dispositis, eisque. patratibus brevissimis titulis ea prænotari studuit. In quibusdam autem versiculis sic scripsit: *Desiderii vita Christus*. In quibusdam autem sic scripsit: *Desiderii tu, pius Christe, suscipe munus*. In aliis autem, ita: *Accipe, Christe, munera de tuis tibi bonis oblata*. In aliis quoque ita: *Suscipe, sancte Deus, quod fert Desiderius munus, ut majora ferat, viribus adde suis*.

In aliis: *Hæc est sapientia sapientium profundi sensus*. In aliis vero, abbreviatum illud dictum: *Sapiens verbis innotescit paucis*. Merito ergo, Ecclesia Cadurca, hunc sanctum virum diliges, qui te singulariter supra cunctos parentes dilexit, et omnem affectum, qui parentibus debebatur, in usus tuos transtulit. Merito (inquam) diligis, qui te sic amavit ut amicis præponeret, alumnis præferret, ornamentorum movilia æterno amore consignaret, qui cum Domino tibi soli viveret. . . . tuis militaret, soliditatem tuam toto adnitu procuraret. Qua de re desiderandus semper tibi est, non absens, non lugendus quasi mortuus, ut illum exspectare, non amisisse videaris. Noli ergo plangere quem de morte credis ad vitam migrasse.

C Nec doleat, quod talem amiseris; sed gaudeas, quod habueris, imo et habes, obligatoque parumper. . . . audi jam laudes ejus, cujus semper hortatu communita, cujus exemplis accensa es. Desiderius tuus, imo noster, relicta jam Ægypto et. . . . scalam conscendit Jacob, Cedar supergressus securus decantat: *Sicut audivimus ita et vidimus in civitate Dei nostri*; relictis, inquam, tenebris hoc enim Cedar interpretabatur, portat crucem suam et sequitur ipsum, nec de crastino cogitat, nec post tergum respicit, quod in la rym's s'm navil, jam in gaudio mett, seminavit in spiritu et de spiritu metet vitam æternam, securusque jam cantat: *Domine, convertisti planctum meum in gaudium tuum. Conscidisti saccum meum et circumdedisti me lætitiæ*. Et illud: *Post te in odorem unguentorum tuorum currimus*. Quapropter, Ecclesia Cadurca, licet vehementer sis contrita, licet numeris eladibus ac sæpe convulsa, gaude tandem, et securus esto, quod magna hereditate ditata es. Secura, inquam, esto et dic Domino: *Non contristor quod recessit, ago gratias quod dedisti, quippe minuit omnia; gratias ago tibi quod talem nobis dedisti pastorem, talem nostris temporibus procurasti advocatum, qui digne pro nostris peccatis possit intervenire, et ad clementissimas aures tuas preces ingerere*.

Quia jam finem liber postulat, sermo cohibendus est, nobisque magis ianitendum, ut ad exemplum sancti viri vivere elaboremus, cujus exemplo gaudeamus, quam fuerit ferventissimæ fidei, qui non solum di-

vitiis et omnia (quod apud multos impossibile videatur), sed seipsum Domino obtulit, tradidit, dedicavit, qui contra diaboli tergiversationem nequam *pelle: n pro pelle, sed carnes et ossa, et animam* nam Domino consecravit. Quantum possumus jungamur ei spiritu, jungamur affectu, et fortitudinem meritis quam ipse ostendit in opere, nos imitemur in corde; illum indefesse nostra vita sequatur,

A illum nostra pagella decantet, illum cunctæ literæ sonent; quem videre non valemus, recordatione teneamus, et cum quo loqui non possumus, de eo nunquam loqui desinamus. Hoc tibi, Desideri venerabilis, ingenii mei munus obtuli. Hæc tibi, dilecte, libens consecravi, hac ratione ut noster sermo processerit, te laudaverit, te Cadurci positum lector agnoscat.

In sequentes Desiderii Epistolas Canisii monitum.

In sequentibus plerisque epistolis maxime posterioribus, est incondita dictio, quod maxime mirari quis possit, etiam in eorum epistolis id hic evenire, qui alias sat eleganter et Latino (ut ita tempora ferebant) sermone epistolas dederunt. Ut proinde suspicio sit, vitia non tam auctorum esse quam excerptoris. Hoc licet in aliquibus suspicari; non tamen in omnibus. Quare summa (de Codice ms. expressi, errores manifestos etiam dedi. In dubiis et corruptis locis, vel non divinavi, vel id moneo. Neque enim dubito fore ut docti hac Editione excutiantur ad inquirendos ms. Codices, ex quibus omnia restitui et persanari possint. Equidem Desiderius aliique hic editi digni sunt, in quibus ornandis et restituendis docti laborent, quantum in epistolis Symmachii, Sidonii, aliorumque a pluribus certatim videmus fieri. Tu, benevole lector, hanc nostram primam Editionem boni consule, et fructe.

JACOBI BASNAGII • OBSERVATIONES

De Vita Desiderii episcopi ejusque ordinatore Severo Sulpitio et epistolis quæ hic eduntur.

I. Natus est Desiderius Albige, sive in urbe Albiensi, in extremis Aquitanicis finibus sita. Pater ejus, nomine Sylvius, tres genuit filios. Tunc temporis Dagoberti regis monarchiam solus tenebat Lotharius, a quo tres germani nobilissime enutriti summis dignitatibus præditi sunt. Rusticus enim abbatiam Palatini oratorii et archidiaconatus officium gessit, sed episcopi opus Cadurcensis factus, nescio qua de causa, a parochianis excusus est. Ei successit Desiderius, qui thesauro regio præfuerit. Sigrius denique Massicæ gubernacula et Albiensium Comitatum annis plurimis administravit.

II. Desiderium in palatio innutritum nemo negaverit qui Abbonis peccatoris ad ipsum verba legerit: « Vos enim qui innutriti in palatio regio fuistis, ibi bene cogniti estis; » et revera non solum cum Flothario principe contubernium habuit, sed ipsi commercium litterarum cum Dagoberto et Sigeberto regibus intercessit. Denique eo tempore quo, ut notavit ad formulæ Marculphi, ipse natalitius et dignitate inclutus, Bignonius (L. 1, c. 5), præceptum regis de eligendo episcopo ferebat, ut eligeretur quem plerumque apud animos nostros actio probata commendat et nobilitatis ordo sublimat, ordinatus est ex testimonio episcoporum et auctoritate regis, ut ferebant leges tunc temporis, quanquam electionum usus observatus diceretur; ordinatus est, inquam, Desiderius episcopus Cadurcensis, ut episcopi defuncti et jugulati vices obiret.

III. Ejus ordinator fuit Severus Sulpitius, qui trigessimus primus Biturigum præsul recessetur. Sed quatuor fuerunt ejusdem nominis viri celebres. Nitrobrius, æqualis Hieronymi, quem pessime monachum Primitiacensem faciunt plurimi, sive ut ejus nomine majorem monasterio illi famam concilient, sive errore decepti, quod Severus Sulpitius, de quo mox acturi sumus, abbatiam regendam fuerit sortitus. Illi presbytero debentur tum Historiæ sacræ libri, tum sancti Martini Vita. Ab eo distingui debet Sulpitius Severus, qui Bituricensem Ecclesiam regendam suscepit regnante Childeberto, anno nono, obiit autem sexto decimo ejusdem regni, ita ut per septennium episcopatum tenuerit. Hic laudatur a Gregorio Turonensi, quod titubantem Ecclesiæ statum firmare et

B ejus ruinas resarcire contenderet. Male tribuitur ipsi Vita sancti Martini, nec satis accurate ab historicis superius memorato distinguitur. Alter fuit Severus, qui cum Germano Antissiodorensi episcopo transiit in Angliam, ut hæreseos Pelagianæ ab aliquot annis grassantis reliquias radicibus evelleret. Hunc eundem ac Sulpitium Severum Aquitanum censent aliqui. At errant penitus; quippe Severus qui in Britanniam transfretavit, Sulpicii prænomen non habuit; nec Bituricensis, sed Treverensis fuit episcopus. Denique quartus fuit Sulpitius Severus, ordinator Desiderii Cadurcensis, Austregilli successor, et præsulum flos nobilissimus, totius virtutis singulare specimen, defensor et pater patriæ; ideoque Pii titulum obtinuit. Fallitur Anonymus, qui patriarchicam Bituricensem illustravit apud Labbæum, dum narrat varias in partes cleri populique sententias mutasse, ubi agebatur de eligendo successore Austregilli, dum non minima pars Sulpitium acclamaret, ex altera vero parte, instigante diabolo, aliquis optimatum regem adii, aurumque obtulit, ut eligeretur Bituricensis episcopus, quippe electio præsulum non pendebat a plebe, nec ab ejus suffragio: nominatio penes regem erat, qui præsules quosdam sibi assistentes et optimates consulere fingebat, cum de electione Desiderii ageretur. Ipse enim Dagobertus Sulpitio Severo mandavit, ut illum in sede Cadurcensi collocaret. Ea ratione summam cum Desiderio contraxit amicitiam, ipsique plurimas scripsit epistolas, quarum aliquæ hic eduntur. In illis patriarchæ titulum assumit. Metropolitanus enim nomen in Occidente archiepiscopi vocabantur, illudque nomen vix fuit in usu apud Gallos. Papas se dixerunt tunc temporis episcopi, metropolitani vero patriarchas, et patriarchæ archiepiscopos. Hæc de Severo Sulpitio, quia circa viros cognomines, eosque celeberrimos, sapius peccatum fuit.

IV. De tempore quo Severus Sulpitius Desiderium ordinaverit disputatur. Illam enim consecrationem Sammarthani fratres in Gallia Christiana referunt ad annum 635. Labbæus vero ad biennium removel, annumque 637 assignavit. Oritur difficultas ex eo quod Rusticus dicitur casus anno septimo regis Dagoberti, cum jam per septem annos integros et ultra pontifi-

* Vir inter protestantes eruditissimus, et, ut dicitur, amantissimus æqui; nec tamen adeo suæ sectæ præjudiciorum immunis, quin aliquando instituta

nostra vel etiam sanctorum nostrorum lapsus arguendi occasionem alacrius arripit. Edit.